



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Regia Via Crvcis

Haeften, Benedictus van

Antverpiæ, 1635

Gloriosissimæ Virgini S. Teresiae A Iesv Carmelitarum Excalceat.
Fvndatrici.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46093](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46093)

GLORIOSISSIMÆ
 VIRGINI
 S. TERESIAE
 A IESV
 Carmelitarum Excaiceat.
 FVNDATRICI.



AS mihi sit, arden-
 tissima CRVCIS
 CHRISTI Amatrix,
 Seraphica virgo TE-
 RESIA, REGIAM
 hanc CRVCIS VIAM sacris Tuis
 substernere pedibus, & nomini
 Tuo longè celeberrimo consecra-
 re. Quamquam enim cælestis vr-
 banitatis ignari, nimix id forsitan
 adscri-

xij

adscribent audaciæ; ego tamen
vel hoc pacto perennem illum
Tuum erga CRUCES afflictionesq;
amorem venerari mihi posse vi-
deor. Etenim *dilectus Tuus candi-*
dus & rubicundus, electus ex milli-
bus, vnam Te ex multis elegit mil-
libus, ad similitudinem suam vir-
ginitate candidam, patiendi desi-
derio rubicundam, cui diuitias &
delicias CAUCIS suæ, luculentius
aperiret. Hinc vitæ Tuæ cursus a-
liud fuisse non videtur, quàm ad-
scensus purpureis, quo per CRU-
CES & dolores ad ferculi Salomo-
nis reclinatorium aureum pene-
trasti. Non modicum Tibi præbe-
bant CRUCES solatium; pœnæ &
tormenta Tibi videbantur orna-
menta: opprobria & conuitia vel-
ut

ut suauissima quædam harmonia
 Tu is insonabant auribus. Parum
 Tibi erat, ô Magnanima He-
 roïna, tribulationes æquo animo
 tolerare, nisi etiam flagrantissimo
 eas desiderio à Deo flagitares, &
 crebrò Tibi esset in corde, crebrò
 in ore;

AUT PATI, AUT MORI: Teref. Vi-
 tæ suæ c. 40

& quòd, vt ipsa litteris consignà-
 sti, *afflictiones cum omnibus mundi* Teref. in
 Concep-
 dis in a-
 mor. c. 6.
thesauris non commutares. Vnde

autem hæc vota? vnde hæc af-
 flictionis æstimatio? vnde hoc
 desiderium? Ab Amore Tuo
 Crucifixo CRVCIS hunc amo-
 rem hausisti: impatiens hoc pa-
 tiendi desiderium ab eo procul-
 dubio processit, qui se patientiæ
 præceptorem fecit & exemplum.

Nimi-

Nimirum totus Tibi fixus erat in corde, qui pro Te totus fixus fuerat in CRUCE.

Sed finem non habent amantium vota, nec mortali clauditur vitâ immortale desiderium. Manet iam cælo receptæ eadem Tibi, si non major, patiendi voluntas. Et si quâ causâ, interminâ illâ carere velles beatitudine, hac solâ ic velles, vt posses pati. Ergone cælestes animæ, si hæc in eas cadat affectio, mortalibus CRUCES inuideant? Auxisti, ô prudentissimâ Negotiatrix, auxisti hoc Tuo suffragio tribulationis & CRUCIS pretium: tantumque piorum mentibus calcar addidisti, nemo vt iam sit, qui vel longiorem, vel æquo grauiorem que-

queratur, quam à Cælitibus ambi-
tioso didicerit voto posse concu-
pisci.

Tibi igitur, ô sacra Virgo, RE-
GIAM hanc CRVCIS VIAM sa-
cro. Digna enim es, quæ post
Agnum crucifixum, Ducemque
nostrum, CRUCEM ferentium
agmen deducas, *quæ CRVCIS diu*

Sidon. l. 6.
Epist. 1.

portata vexilla circumfers. Post

Moysem præeuntem *in veteri* Ambros.
Epist. 7. ad
Sericium
Papam

Testamento virgo Hebræorum
per mare duxit exercitum. Felici

Tu cum IESV contubernio, per
sæculi huius pelagus CRUCE suâ
iter pandente, piorum præibis
exercitum; omnibus Apostolicum
illud ingeminans: *Imitatores mei* 1. Cor. 4.
estote, sicut et ego CHRISTI.

Neque verò nouum quid abs

Te

Te peto. Etenim cum commu-
 ni nobiscum hic sorte degeres,
 CRVCIS trophæa passim erige-
 bas, iam tum, velut altera Ma-
 chabæa, Tu supra modum Ma-
 ter mirabilis, & bonorum memoriâ
 digna, lectissimam quam condi-
 disti gentem hortabaris, voce pa-
 triâ fortiter, repleta sapientiâ, &
 femineæ cogitationi masculinum
 animum inserens, dicebas: * HOC
 SYMBOLVM & axioma vestrum
 esse credite: QVAE PLVS PATI
 POTEST, PLVRA DEI NOMI-
 NE PATIATVR; hæcque omnium
 erit beatissima. * Quæcumq; au-
 tem hoc patiendi in se desiderium
 non sentiet, illa se veram Discal-
 ceatam esse non existimet; cum
 non tam recreationes quàm patiendi
 mate-

2. Macha.
7, 10.

* Teref.
Castell.
anim.
mans. 2.

* Lib. 2.
Fundat.
cap. 17.

materiam desiderare debeamus.

Quod in CHRISTI Sponsis potissimum requirebas, insignis erga illum erat amor: sed huius mensuram CRUCEM esse voluisti, certissimum arbitrata pro magna ^{Via perfect. c. 32.} aut parua in CRUCE ferenda resolutione, amorem esse solere, iuxtaque eam debere commensurari.

O voces prudentissimam virgine, forti que viragine dignas! voces quæ tenerrimis etiam virgunculis CRUCIS amplexum serio persuaserunt!

Patere igitur, O gloriosa patientiæ Magistra, Te, post Agnum quem sequeris, REGIAE huius VIAE ductricem Doctricemque nominari: instrue, quæso, errantes, iacentes erige, euntes dirige.

**

Pro

xviii

Pro hoc verò qualiquāli scripto,
quod sanctissimo nomini Tuo
supplex veneransque inscribo,
CRUCIS & CRUCIFIXI amo-
rem tabulis cordis meī inscribe,
& Clientum Tuorum me, licet
indignum, numero adscribe.



A D